

- 6 reat facta solummodo super jure certo * & claro nullam in se habente difficultatem, ut nullo pacto sustineri possit declarat Manent. *conf. 136. n. 43. vers. cum igitur, & consil. 137. n. 23.* cum pluribus aliis relatis in allegata Bononien. nullitatis concordie 12 Junii 1645. coram Reverendissimo D. meo Decano sub S. At hic; transactio enim ex falsa causa facta cum præsumatur inita dolo malo, ut omnino veniat rescindenda tradit Cravett. *conf. 538. n. 17.* Cuman. *conf. 136. n. 4. & 5.* Rota coram Penia *decif. 60. num. 12.*

Accedit ulterius, quod in eadem transactione inter partes transigentes conventum fuisse demonstratur, ut casu quo Joann. Baptista in causa victoriam reportasset, ex pretio controversæ Domus jam valutatæ in scut. 5000. duo millia tantum recuperaret, quatenus verò succubuisset in lite nihil prorsus lucraretur, ex quo resultat manifesta ac evidens hujus transactionis insubstantialitas, cum ad illius validitatem + requiratur ut hinc inde à transigentibus aliquid detur, & recipiatur ad text. in l. transactio nullo dato C. de transact. l. sius 3. C. de repud. hered. & dixit Rota *decif. 230. n. 2. p. 4. recent. coram Merlin. dec. 163. n. 6. & coram Eminentissimo D. Cardinali Othobono decif. 25. n. 7.*

- 8 Ex quibus cum DD. Angela, ac Joan. Baptista de Luti fideicommissarii nullum reportaverint commodum per dictam transactionem. Imò damnus evidens, ac certum, quia in casu victoriæ causæ solum scuta 2000. habere debebant ex 5000. quibus jam vendita fuerat dicta domus; in casu autem succumbentiæ nihil prorsus eis dabatur, hinc satis constat de læsione enormissima in hac transactione +, de qua non dubitatur, quotiescunque aliquibus ex transigentibus nullum affertur commodum, sed potius damnus certum, ut in hoc casu Rota *decif. 22. num. 41.*

Obstare neque visæ fuerunt sententiæ, Aud. C. latæ, ad favorem creditorum Lucilli: cum enim nondum latæ fuissent de tempore transactionis non potuerant illi dare causam, nec aptæ sunt illam sustinere, ex quo nunquam excluditur enormissima læsio nimium patens ex supradictis.

Et ulterius hujusmodi sententiæ non fuerunt latæ adversus fideicommissarios Tiburtii Pacifici, sed contra dictum R. P. D. Honoratum Domus emptorem qui causam habebat ab eodem Lucillo, & propterea cum ipse de eo tempore nullam reportasset Jurium cessionem ab ipsis fideicommissariis poterat dictam creditoribus impedire satisfactioem pro debitis domui Lucilli venditoris: cessionis enim tantum vigore quisquis potest agere ad bona & contra personas, ad quæ, & contra quas potuisset agere ipsemet cedens ad tradita per Ruin. *conf. 209. n. 20.* cum aliis relatis per Rotam *decif. 456. num. 2. in fine par. 2. recent.*

Et ita utraque parte informante resolutum fuit &c.

DECISIO CXXVII.

R. P. D. BEVILAQUA.

Vercellen. seu Casaleni. bonorum.

Veneris 10 Maii 1658.

SUMMARIUM.

- 1 Dominium concludenter probare debet agens ad caducitatem & n. 12. Ex investitura cum aliis

adminiculis probatur nu. 9. declarata ut nu. 10. Ex quibus mutatum non censetur, n. 11. utile transfertur in emphyteutam num. 17.

- 2 Dictiones, catenus, quatenus, important conditionem qua non justificata Jus non competit, num. 3.

4 Assertiones ad favorem assertionis, non probant. Non probant dominium ad effectum devolutionis num. 5.

6 Papa Ecclesiæ non censetur præjudicare.

7 Dominio ex præterito ad hodiernum non infertur.

8 Enunciatio, tametsi antiquæ, ad favorem emunciationum non probant.

13 Contractus censuarius, potiusquam emphyteuticus reputatur & num. 16. talis præsumitur, quem verba demonstrant num. 19.

14 Censuarius in dubio fructibus correspondet. In compensatione fructuum solvitur num. 15.

18 Dominus concedens rem in emphyteusim retinet directum.

20 Observantia probat contractum censualem.

21 Concessio ex quibus censuaria censetur, & ex quibus emphyteutica num. 22.

23 Probationes validiores debilibus præferuntur.

24 Censuarius non solvens censum non cadit, neque alienando sine assensu Domini num. 26.

25 Caducitas non solutionum habet locum solum in emphyteusi.

27 Caducitatem quolibet causa excusat.

28 Oblatio solvendi habet vim solutionis ad effectum evitandæ caducitatis.

SIXtus fel. rec. Papa Quartus ad dirimendam litem ortam inter Cardinalem S. Eustachii prætententem Villas Saletæ, & Planchetæ, & nonnulla bona circumcirca, & propè illas posita esse membra Monasterii S. Andreae Vercellen. seque ex concessione Apostolica, donec viveret, usumfructum habere, & Marchionem Montisferrati easdem uti proprias, & liberas possidentem; avocando causam in judicio jam deductam motu proprio declaravit per hæc verba Villas Saletæ, & Planchetæ, & circumcirca illis consistentia Prædia, Prata, Pascua, Nemora, &c. in posterum teneri, & possideri debere per prædictum Marchionem, ejusque filios utriusque sexus hæredes, & successores quoscunque perpetuis futuris temporibus prout hæcenus possessa fuerunt. Ipsosque Marchionem, hæredes, & Successores quoscunque non posse, nec debere super iis in posterum molestari à præfato Cardinali, Conventu, & Monasterio, Illaque omnia catenus, quatenus in totum, vel in aliqua parte ad Monasterium prædictum pertineant cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Marchioni pro se, hæredibus, & successoribus suis prædictis in emphyteusim perpetuam pro annuo censu Florenorum centum auri de Camera Cardinali durante usufructu, & demum Monasterio prædicto annis singulis in festo S. Andreae persolvend. dicta auctoritate concedimus & assignamus. Diciturque Marchionem, filiosque hæredes, & successores ejusdem prædictos motu, & scientia similibus, quatenus expediat, vel opus sit, & pro majori voluntatis nostræ declaratione, & robore per præsentem perpetuis duraturas temporibus investimus, &c.

Anno 1643. Cum ob militum incurfionem Ponzoni tunc dictarum Villarum Dñi coacti fuissent à censu solutione cessare, & tandem illas Marchioni Mossio vendere; Contra eundem modernus Abbas, & Canonici instabant pro mandato de associando ad Villas prædictas, & Castrum Turrio

Turronis, uti devolutas ex capite alienationis ipsis irrequisitis factæ, ac non solutionis laudem, & Canonis, super qua devolutione dato dubio, de ea non constare, decifum hodie fuit. Quia ubi quis ad illam agit per plenas, & concludentes probationes de suo dominio docere teneatur l. officium 9, & l. fin. ff. de rei vend. Bald. in l. cum res 12, n. 19. de probat. Marefc. var. resol. c. 85, n. 5, lib. 1. & ita semper tenuit Rot. ut apud Mart. Andr. dec. 63. n. 1. Duran. decif. 431. n. 8, & coram Card. Seraphin. decifion. 145, Caval. decifion. 296. n. 1, Millin. decif. 11, n. 8, & Othobon. decifion. 13. n. 1. & in rec. decifion. 281, n. 1. p. 4. t. 2, & in Mediolanen. præsentæ devolutionis 1. Jul. 1655, coram R. P. D. meo Melio in princ.

Hujusmodi autem non est probatio, quæ hic afferebatur pro parte Abbatis, & Canonicorum, siquidem litteræ concessionis Sixti Pontificis anno 1481, emanatæ, quibus primum ipsi tituntur nedum domini probationem non concludunt, immò potius excludunt, cum Papa non utatur verbis illud denotantibus, sed loquatur per verba conditionalia ibi. Illaque eatenus, quatenus in totum, vel in parte ad Monasterium præfatum pertineant. &c. Dictiones enim eatenus, + quatenus important conditionem, ut est textus in l. Strychum qui meus 6. ff. de legat. 1. Bart. in libro 1. num. 20. ff. de cond. & dem. Surd. conf. 186. numero 10. Honded. conf. 68, numero 11. lib. 2. Gratian. discept. for. cap. 854, numero 40, & 49, Rot. decif. 381, numero 1. parte prima diver. deci. 12, numero 37, par. 6. Et modificant concessionem, incertitudinemque Domini Monasterii super omnibus, vel parte dictorum bonorum adeo ostendunt, ut nisi certificetur illa esse sua, + nullum Jus dicatur interim habere ad notata in l. miles 6. ff. de re jud. l. 3. §. Incerta ff. de acquir. poss. l. si fur. 32. §. ult. ff. de usufruct. Bart. in l. si sic 78. §. si mihi n. 4. & ibi Bald. ante fin. ff. de legat. pr. Dec. conf. 385. num. 2. Bero conf. 140. n. 17, lib. 2. Surd. conf. 186, n. 14, cum seq. Rot. decif. 295, numero 4. part. 1. rec.

Quatenus vero probationem domini deducere intendunt ex instrumentis venditionis prædictorum bonorum à fratribus ordinis Humiliatorum Abbati S. Andreae de anno 1272, & possessionis per eundem successivè adeptæ; necnon ex confirmatione dictæ venditionis in Capitulo Generali venditorum, sequuta Sententia arbitramentali, absque Juribus relatis in Summario Abbatis, & Canonicorum à numero 7. usque ad 13, & ex his neque etiam justificari videbatur, quia ultra quod excepto primo venditionis instrumento, cætera pro majori parte continent simplices ipsorum assertiones, + quæ ad eorum favorem non probant l. non nudis 14, C. de probat. l. ex his verbis 7, C. de testam. Lud. Bell. conf. 87. nu. 7. Rot. decif. 639. num. 3. par. 2. rec. & apud bon. mem. Buratt. decif. 136, n. 2. & 10. Et multo minus dominium + ad effectum inducendæ devolutionis Bart. in l. quidam in suo 27. de condit. Inst. Rot. decif. 606, num. 3. par. 1. & decif. 93, n. 2. par. 3, rec. Placuit responso, quod vel tempore concessionis multò post subsequatæ fuerunt coram Pontifice exhibita, ut præsumitur, attento quod in motu proprio asserit super hujusmodi re fuisse coram ipso rationes hinc inde plene, & sæpius deductas, & tamen his non obstantibus professus fuit ad consulendum quieti, & commoditati Monasterii; ac publicæ utilitati Villas, & bona Marchioni concessisse, dominio ad favorem dicti Monasterii minimè reservato, ex quo satis declarasse videtur illud ei non compe-

tere. Juraque prædicta elisa remansisse contrariis justificationibus à Marchione deductis, cum alias jam grave præjudicium + Monasterio non intulisset ad text. cum ibi notatis in C. quamvis 8. de rescript. in 6, Menoch. conf. 36. n. 65. Rot. decif. 119. n. 7, par. 5. rec. Aut verò offensa non fuerunt, & tali casu dicendum est ipsosmet Agentes pro Monasterio illorum irrelevantiam agnovisse, idè non curasse exhibere. Esto enim, quod proprius constaret de Monasterii dominio, non inde id idem affirmari potest de tempore Investituræ, quia ex dominio de præterito ad hodiernum + inferri non potest in præjudicium tertii, qui medio tempore potuit Jus acquirere c. Abbatem sane 3. de re jud. in 6, l. in rem actio 24. ff. de rei vendic. l. 1. C. de alienat. Jud. mutan. causa fac. Corn. conf. 24. n. 6. cum seq. lib. 4. Rot. decif. 55. n. 5. penes Pacif. de Salvian. Interd.

Nec visum fuit fundamentum aliquid fieri posse in litteris Alexandri VI. sub dat. Romæ x. kal. Aprilis 1594. super reservatione usufructus, in favorem Cardinalis S. Eustachii, & in rescripto Imperatoris Caroli V. qui cognitione ejusdem causæ Cardinali Caracciolo tunc Mediolani gubernatori commisit, in quibus enunciatur hæc Villas, & bona ad Abbatem S. Andreae Vercellarum spectare, quandoquidem enunciativæ + emanarunt ad Supplicationem patris, atque idè tametsi antiquæ non probant tanquam proficiscentes ab habentibus Interesse Lofred. conf. 44. numero 6, Rot. apud Cardin. Seraph. decif. 1189, numero 3, coram Sa. me. Gregar. XV. dec. 77. n. 8. Buratt. decif. 178. n. 14.

Non obstat, quod instrumentum concessionis aliis adminiculis suffultum probet dominium + concedentis etiam ad effectum devolutionis juxta doctrinam Bart. in l. ad probationem num. 1, C. locat. Buratt. decif. 602. num. 2. & 15. Quia non admittitur hujusmodi probatio uti insufficientis, quotiescunque, ut hic subesse potest suspicio, vel possibilitatis, quod bona in possessionem devenerint aliunde, + quam mediante Ecclesia dominium prætentente, ut conciliando alias decisiones dictum fuit in Ariminen. bonorum 4. Februarii 1611. Coram Marco Motio in rec. decif. 290, n. 6. par. 1. In præsentem verò præter superius deducta, verbis concessionis, appareret summum Pontificem mandasse, quod Villæ controversæ, teneri, & possideri deberent per Marchionem, & suos successores perpetuis futuris temporibus, prout hæcenus possessa fuerunt, nec posse, neque debere super his in posterum molestari, ex quibus indubitatè assequimur dictum Pontificem non intellexisse, immutare dominium, & alterare naturam bonorum, sed voluisse quod illa semper debeant remanere in suo primo esse, prout antea reperiebantur apud Marchiones, & Successores ad text. in l. si pro fundo 33, ibique Bart. n. 3. C. de transact. Surd. conf. 418, num. 17, cum seq. Card. Caval. decif. 374. n. 8. Cumque fuerit extincta lis, terminatæ diffidentia omnes inter Monasterium, & Marchionem super dominio Fubortæ mediante dicta concessionem per viam transactionis nefas est eas denudò resuscitare cum expulsiōne Marchionis sub prætextu devolutionis, + quæ ex alio prætendi non potest, quàm ex directo dominio per Instrumentum dictæ concessionis excluso d. l. Officium ff. de rei vend. Alex. conf. 10, lib. 4. Rot. dec. 36, dec. 288, ubique p. 7. rec. aliique in princ. con-

gesti. Præterea existimantur Domini concessionem; de qua agitur, non esse emphyteoticam, sed censualem

- 13 sualem moti prius ex Juris præsumptione ꝑ, secundum quam contractus potius censetur censuaris, quam emphyteoticus Alberic. de Rosate in l. 2. n. 13. C. de Jur. emphyt. Ruin. conf. 161. n. 28. lib. 1. Hippol. de Maril. Singul. 95. n. 2. Rot. penes Card. Mantic. decis. 134. n. 3. Caval. decis. 201. n. 2. Buratt. decis. 334. n. fin. & decis. 601. n. 3. & 116. bo. me. Merlin. dec. 545. n. 1. & in rec. dec. 400. n. 7. & dec. 606. n. 2. par. 1. Secundò ex onere Marchioni ejusque hæredibus, & successoribus ad Investituram vocatis in juncto solvendi in perpetuum annuos Florenos centum auri de Camera Monasterio S. Andreae. Hæc enim quantitas responsionis tanquam æquans fructus Villarum de tempore concessionis, ut deprehenditur ex quo altera illarum, nempe Saleta in dicto Instrumento de anno 1272. Stipulato dicitur empta ab Abbate pro pretio librarum 625. monetæ Papien. vix ascendenti ad Scuta centum, monetæ Romanæ, & in dubio ꝑ etiam præsumitur donec contrarium probetur Ruin. dict. conf. 161. nu. 25. Rot. dec. 14. n. 10. par. 6. rec. præstat maximum argumentum ad discernendum concessionem esse censualem. In qua certi Juris est, quod regulariter solutio solet correspondere fructibus ꝑ At in emphyteusi solvitur quid modicum in recognitionem domini directi, non autem in fructuum recompensationem, ut distinguunt Bart. in l. 1. n. 4. & ibi etiam Bald. in 2. lectura nu. 27. vers. quero C. de Jur. emphyt. Ruin. d. conf. 161. nu. 21. & 29. in fin. Roland. à Valle conf. 96. n. 25. lib. 1. Nevizzan. conf. 92. n. 12. & 45. cum seq. Dec. conf. 164. sub n. 2. Franc. Aretin. conf. 55. num. 5. alique congesti per Rot. coram Buratt. dict. decis. 334. nu. 1. apud Merlin. in eadem decis. 545. n. 2. & 3. & decis. 14. n. 24. & 25. par. 6. rec. Tertio quia non legitur reservatus consensus Abbatis ꝑ, ubi casus alienationis conveniret, desuntque conventiones & pacta illius Dominium præferentia, quod pariter demonstrat concessionem fuisse habitam pro censuaria Dec. dict. conf. 164. num. 2. Rot. in præcitat. decis. 400. n. 8. par. 1. & dec. 601. n. 4. coram Buratt. Id, quod non accidit in contractu emphyteutico ꝑ, ubi utile dominium transfertur in emphyteotam l. 1. §. qui in perpetuum, & ibi scribentes ff. si ager. Vectigal. Bero. conf. 146. nu. 2. lib. 1. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præf. 106. n. 1. & 2. Caval. decis. 201. n. 3. Dominus verò rei in emphyteusim traditæ ꝑ semper super ea aliquod Jus, directumque dominium retinet. Imol. C. ad audientiam 9. n. 4. de reb. Eccles. non alien. Dec. eod. conf. 164. sub nu. 2. vers. Cum ergò. Mantic. de tac. & ambig. lib. 22. tit. 3. n. 9. Rot. dec. 545. n. 6. coram bo. me. Merlin. & dec. 14. n. 31. par. 6. Quarto, quia in ipso concessionis Instrumento disertis verbis habetur solutionem Florenorum centum auri esse faciendam pro censu, non pro Canone. Talis enim debet judicari contractus ꝑ, quem verba demonstrant, & à partibus denominatur l. qui fundum 40. §. fundi ff. de Contrah. empt. & in terminis dixerunt Soccin. sen. conf. 167. n. 6. lib. 2. Aretin. d. conf. 55. in fin. Rot. dec. 400. n. 8. par. 1. & 14. n. 4. & decis. 188. nu. 2. par. 6. & decis. 425. nu. 2. post Modern. Perusin. de Cens. & alii cumulatim in sæpe citata decis. 545. num. 7. bon. mem. Merlini. Et denique concurrunt diuturna observantia ne dùm in exactione semper facta à Canonicis pro affectu, livello, & censu perpetuo, ut expressè legitur in partitis librorum Monasterii, in quibus solutiones adnotatæ sunt Sum. Abbatis num. 2. Verùm etiam in alienationibus proprietatis ipsarum Villarum, & bonorum in quibus extincta linea Marchionis Montis ferrati

successerunt Duces Mantuæ hæredes extranei, & ab istis Villa Saletæ, & Castrum Turrionis in Ponzonos distracta, & successivè ad Marchionem Spinulam devenita eodem Summ. nu. 3. & 4. Laudemio non soluto, neque addito consensu Canonicorum: Immo mediante dictorum censuum receptione omnia gesta approbantur. Per istam igitur observantiam ꝑ tanti temporis, satis declarata concessio pro censuaria, & ab ipsis Canonicis exactoribus pro tali renta Gabr. conf. 76. n. 15. & 16. lib. 2. Mantic. de tac. lib. 22. tit. 8. n. 35. & 36. Menoch. præsumpt. 111. n. 3. lib. 3. Manent. conf. 108. n. 2. 35. & 37. & decis. 2. nu. 3. Et in terminis similium partitarum librorum Rot. dec. 606. n. fin. par. pr. rec.

Non obstat expressio emphyteutis semel, ac iterùm facta, ob quam prætenditur de intentione Papæ ꝑ fuisse concedere bona in emphyteusim non ad censum, & livellum perpetuum; quoniam hujusmodi intellectus pugnat cum aliis, & præcipuè correspondenti annuæ præstationis fructibus bonorum ꝑ supra animadversis contrarium demonstrantibus, hæcque prævalere debent nihil obstante quod denominatio cantet de emphyteusi, sicut notant Bald. in rubr. num. 12. C. de jur. emphyt. Ruin. in citato conf. 161. n. 27. cum duob. seqq. Nevizzan. in dict. conf. 92. Nat. conf. 3. n. 2. Mantic. de tac. eod. lib. 22. & tit. 3. nu. 12. Dec. d. conf. 164. num. 3. Bero. quæst. 14. num. 3. & 4. Menoch. dict. præsumpt. 106. n. 11. Ubi quod si dictum fuit concedo in emphyteusim ꝑ, vel in censum, ex illis verbis, in censum dicitur recessum ab illis in emphyteusim Seraphin. dec. 313. n. 3. Buratt. dict. dec. 334. sub n. 10. vers. 3. & seq. & in illa 545. Merlini n. 6. & par. 6. dec. 14. n. 11. & 12.

Ex quibus deprehenditur ad præsentem facti speciem non applicari decisiones, & auctoritates in oppositum adductæ, quia procedunt ubi adest explicita domini directi reservatio apud bona concedentem & concurrunt pacta, quæ magis inferunt emphyteusim, quam censum; ut bene explicat Rot. in dec. 611. n. 28. & 29. par. 4. tom. 3. rec. Vel ubi quoque Jura pro Monasterio data cum adminiculis ponderatis aliquam domini probationem constituerent ad arguendum concessionem emphyteoticam, adhuc non sufficiunt, cum validiores sint probationes ꝑ, & conjecturæ supra deductæ suadentes esse censuariam unà cum Juris præsumptione, quæ semper firma manet posito citrà veri præjudicium, quod probationes conquisissentur ad invicem ut bene ad rem firmavit Rot. coram bo. me. Merlin. dict. dec. 545. n. 15. & 16.

Hinc meritò conclusum fuit nullatenus factum esse locum devolutioni capite alienationis, consensu Abbatis, & Canonicorum non adhibito, & ob non solutionem laudemii, & census, quia istis de causis dùm non versamur in contractu emphyteutico, sed censuali, bona ex natura contractus non incidunt in commissum propter translationem utriusque domini directi, & utilis in Censuarium, qui propterea à Jure suo non cadit ꝑ, ut de non solvete Censum tempore debito est textus cum Gloss. in C. constitutus 6. de relig. dom. Imol. in d. C. ad audientiam de reb. Eccles. non alien. Soccin. sen. conf. 167. n. 6. lib. 2. Dec. conf. 164. supra citat. sub n. 1. vers. Sed tamen his, & n. 2. ubi quod Text. in C. 4. de locat. & conduct. habet duntaxat locum in contractu emphyt. Mantic. eod. l. 22. & tit. 3. nu. 10. & 11. & dec. 134. num. Hond. conf. 81. n. 4. lib. 2. Menoch. d. præf. 16. n. 16. Rot. d. 400. nu. 7. & 15. & d. 606. in fin. p. 1. rec. Et de eo, qui distraxit bona irrequisito Domino, 27 quia

quia dicitur translatum dominium in ipsum alienantem ratione illius uti Dominus alienare potest Dec. ubi supra sub num. 3. vers. ultimo non obstat, dicens hæc duo æquiparari in contractu censuali, ut quis à Jure suo non cadat tam in solvendo, quam in alienando Ruin. conf. 42. n. 8. lib. 1. Menoch. conf. 414. num. 15. in fin. & seq. & dict. præsumpt. 106. nu. 19. Honded. eod. conf. 81. n. 5. Rota decis. 425. nu. 10. in fin. penes Cenc. de cens. Nec laudemium solvit, Menoch. ibid. nu. 7. & 8. Mantic. d. tit. 3. num. 15. Rota in allegatis decisione 400. num. 8. part. 1. & decis. 14. num. 48. & 47. part. 6.

Prædictaque facilius recipienda sunt quoad devolutionem Castrum Turrionis mari circumdati, & militibus custoditi, de quo nulla fit mentio in motu proprio, nec ut assereretur, probatum fuit esse sub Villa Planchetæ comprehensum, & proinde minus respectu illius justificatur dominium, ut Marchio subjaceat caducitati ꝑ, à qua ut excusetur quælibet, & etiam minus iusta causa solet admitti ad tex. in l. igitur 12. ff. de liberal. caus. Angel. in plag. 14. C. ad l. Flav. de plag. Rota decis. 232. num. 2. & decis. 571. num. 4. part. 2. & 282. num. 5. part. 4. tom. 2. & decis. 293. num. fin. part. 6. rec. Juncta maxime judiciali oblatione solvendi ꝑ totum id, in quo factis calculis apparebit remanere debitorem, quæ oblatio ad effectum evitandi caducitatis poenam habet vim solutionis l. si rem 9. §. ult. ff. de pignorat. act. Bart. in l. interdum 73. §. fin. ff. de verb. oblig. Socin. sen. conf. 118. nu. 10. lib. 4. & Socin. jun. de communi conf. 63. num. 19. lib. 2. Becc. conf. 196. nu. 2. lib. 1. Surd. conf. 86. num. 27. & 28. Rota coram Corretulo decis. 78. num. 10.

Et ita utraque &c.

DECISIO CXXVIII.

R. P. D. MELTIO.

Bononien. Fideicommissi de Amornis.

Mercurii 26 Junii 1658.

SUMMARIUM.

- 1 Immissio conceditur fideicommissario ubi concurrunt requisita.
- 2 Nepotes quando filiorum appellatione non veniant.
- 3 Testator quando restrinxit vocationem ad certas personas, ad alias substitutio non extenditur.
- 5 Conjecturæ non attenduntur, ubi adest clara Testatoris dispositio.
- 6 Descendens mediatè per lineam femininam censetur extraneus, quo ad substitutionem factam de filiis & descendantibus masculis feminæ.
- 7 Absurdum considerari non potest ubi constat de expressa mente testatoris aliquo modo substituentis.
- 8 Absurdi sub prætextu non licet recedere à verbis testamenti, nec trahere vocationem ad exclusos.

M Athæus Amornis hæredibus institutis Julio Cæsare, & Alexandro ex Dominico ipsius germano fratre nepotibus perpetuum, & absolutum inter illos in casu obitus alicujus qua-

documque sine filiis masculis, & de legitimo matrimonio natis fideicommissum cum reciproca substitutione ordinavit, & in defectum eorumdem hæredum cum liberis masculis, & per masculum descendantibus legitimis & naturalibus quocumque cujuslibet ipsorum liberos masculos cum eadem masculinitatis, & legitimitatis qualitate reciprocè pariter substituit. Deinde verò post obitum dictorum hæredum, ac omnium ipsorum filiorum masculorum, & per masculum descendantium ultimo decedenti naturales, spuos, seu aliter illegitimè ab eisdem institutis proximiores masculos, & per lineam masculinam naturalium descendentes in infinitum in omnibus ipsius Testatoris bonis substituit, & in istorum descendantium naturalium, & spriorum, ac totalis lineæ masculinæ extinctionis defectum filios masculos legitimos, & naturales ex Lucretia, & Ludovica ipsius fideicommittentis nepotibus vocavit cum expressa tamen declaratione concepta sub his formalibus verbis: *Declarans etiam idem Testator ad evitandum dubium à Doctoribus consideratum hoc casu appellatione filiorum nepotes non contineri, sed solum filios præcisè & non ultiores esse vocatos, & sic futuros pronepotes ipsius Testatoris, nisi casu quo aliquis, seu aliqui filiorum prædictarum DD. Ludovicæ, & Lucretiæ, vel alterius earum extaret, seu extarent, & admitteretur, quo casu tantum voluit præmortuorum filiorum masculorum prædictarum nepum filios, unà cum illarum filiis superstitibus admitti, & patris personam repræsentare.* Ultimo demum ex prædictis quocumque sine filiis masculis legitimis & naturalibus decedenti, ac deficientibus aliis successivè vocatis, duos Pueros, seu Adolescentes ex Agnationibus, & Profapiis DD. de Pepulis, de Grassis, de Ursis, de Bologninis, & aliarum familiarum Bononienium, de quibus in testamento in §. 44. ab Officialibus Pauperum Verecundorum Montis Pietatis, ac aliis Civitatis Bononiæ Officialibus cum onere tamen deferendi insignia, & nomen Domus Amornis eligendos substituit.

Defuncto Testatore ex descendantibus masculis institutorum Alexander junior filius Virgilio Alexandri senioris alterius ex primis hæredibus nepos unicus superstitit, qui donatis prius omnibus bonis fideicommissis d. Matthæi obnoxii Com. Gabrieli de Grassis, absque filiis decessit, & propterea purificato vigore ultimæ substitutionis fideicommissis ad favorem Puerorum, seu Adolescentium Bononienium stante deficientia aliorum prius vocatorum fuerunt ab Officialibus dictæ Civitatis ad præscriptam testamenti formam electi Com. Joseph Maria de Ursis, & Joannes Andreas de Bologninis, qui cum petant adversus ipsum D. Com. Gabrielem de Grassis pronepotem dictæ Lucretiæ, ac Donatarium dicti Alexandri junioris de Amornis ultimi gravati immissionem in possessionem bonorum fideicommissorum in vim l. fin. C. de edict. Div. Adr. toll. delata hujusmodi causa ad Rotam, ac mihi commissis dubitatum fuit, an ipsis sit concedenda immissio, & omnibus valdè perpensis, ac maturè discussis per Dominos fuit affirmativè resolutum.

Existencia enim supradicti fideicommissi præter quod inter partes non controversatur, literaliter colligitur ex inspectione ejusdemmet testamenti & comprobatur ex decisionibus emanatis coram me in hac causa sub die 18 Maii 1648. & 4. Aprilis 1650. prout quoque de bonorum identitate